



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.[D.]LXXXVI. Sancti Patris Benedicti. M.C.VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

Nascitur hoc anno admirabile prorsus Sydus Ordinis nostri B. Margarita d' Arbous. De qua sæpè suo loco.

I E S U C H R I S T I A N N U S . M . L X X X V I .
Sancti Patris Benedicti. M. C. VI.

IN Hispanijs insigne rursus se sydus Sanctorum fulgoribus Illustrissimum prodit Beatæ memoriæ Ignatius Morerolenfis Cænobij Monachus, admirandæ gratiæ, & insolitæ Virtutis ac perfectionis vir, qui in omni Sanctitate vitam exigens, cum in Domino placidissimè sanctam exhalasset animam, & jam sepulturæ mandandus esset, grandi cum Stupore omnium Redivivus, cum linteum quo facies mortui velata erat, removisset, in ejus quam unicè in vita dilexerat Dominæ suæ Antiphonam erumpens, alta voce *Regina Cæli* occinere incœpit, moxque admiranda, quæ in cœlesti patria conspexerat, circumstantibus deprædicare cœpit; subjungens denique: *Hæc Patres, Fui inter Angelorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum Choros. Vidi ipsam DEI Matrem stellis coronatam, & lucidissima veste ac pulchritudine circumdatam quæ mihi dixit, se nostram esse Patronam, ipsque qui habitu nostro induuntur* (Cisterciensium nostrorum candidam, ab ipsamet Reformationi illi mirabiliter datam, imo in Choro prodigiosissimè è nigro colore in album versam intelligit) *adesse & auxiliari. Gaudete Patres & majoribus Vestris obedite, professionem cum perseverantia servate: tantum enim præmium, tanta gloria, tantaq; beatitudo vos manent &c.* Quibus dictis sacrum corpusculum denuo componens, inque manus JESU Christi, Admirabilis Matris, Patrisque sui B E N E D I C T I, Melliflui Bernardi, ac innumerabilium sanctorum, qui ipsi visibiliter apparuerunt & astiterunt, purissimâ efflavit denuo animâ. Fuit ipsi in templo præparatum, sepulchrum, in quod dum jam sacrum corpus ejus immitendum esset, tantum materiei è pariete, cunctis intuentibus & stupentibus proruit, ut fossam funeri factam prorsum impleret, locum autem sepulchro persimilem in muro relinqueret. Quo viso, Prior ait: *Certum est DEUM hic operari*, nam & in terris servum suum honorari voluit: qui à nativitate sua insigni puri-

tatis & castitatis fulgore resplenduis, ideoque novum illi sepulchrum, & terram Virginem Virgini præparavit. *Ex Anastasio Lovera.*

Iterum ex Ordine nostro diversis Cathedralis maximi Præsules expetiti & impositi, easdem summa cum nostrorum gloria, & maxima subditorum utilitate, quàm felicissimè gubernaverunt. Eos inter eminent Constantinus de Lannoy Illustrissimâ natus in Belgio familiâ ex Monacho celeberrimi illius, & florentissimi [ipsa sanctissimi Patriarchæ nostræ tanto post apparentis significatione & attestatione] Cænobij S. Severini in Urbe Neapolitana, Episcopus primùm Vicentis, ac dein Rhegitanus in Apulia Archiepiscopus creatus, & hoc ipso anno mortuus, postquam egregijs meritis nomen suum immortalitati consecravit. Quo eodem tempore ingenti sua totiusque Ordinis gloria floruit Annas Giurius d' Escars, ex Monacho & Abbate S. Benigni Divionensis, Episcopus Lexoviensis postea sacre Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui deinceps Romæ jam grandis natu ipsaque canitie venerandus, cum summa prudentia, eam ipsam omnibus probabat innocentiam, cum qua S. B E N E D I C T I habitum, non plus octo annos natus susceperat, cujus rei testem habeo Gasparem Scioppium, quo ille perfamiliariter usus est. Sed in primis commendarunt se meritis gravissimis nostri Ecclesiæ Laudunensî in Gallijs, ex quorum numero quatuor, sibi proximè succedentes hoc ipso tempore Episcopi ad eam sedem Cænobio extracti, insigniter claruerunt: Joannes Docceus ex Priore S. Dionysij, Joannes Burseus ex Abbate S. Quintini, Valentinus du Glas & Godefridus de Billy, uterque S. Dionysij Parisiensis Ascetæ, ejusdem sedis Præsules designati. *Ex rer. Gall. Script. Chenu. Cl. Rob. &c.*

Floruit hoc ipso etiam tempore P. F. Rodericus de Vadillo Monachus Vallisoletanus Congregationis Hispanicæ Episcopus Cephaludensis, ob sapientiæ meritum in Siciliam usque evocatus. Ut videas eodem tempore, Italiam, Galliam, Hispaniam, Belgium atque Siciliam, præstantissimos diversis Ecclesijs suis Ascetas, ex Cænobijs nostris postulasse, adeoque de meritis nostrorum

Constantinus de Lannoy Episcopus Vicentis &c.

Annas Giurius Episc. Lexoviens.

Quatuor nostræ Laudunenses Episcopi.

Rodericus Episc. Cephaludensis.

V. Ignatius Morerolenfis.

Redivivus canens.

Quanta præmia vita Monachica.

Cælitus præparatum sepulchrum.

rum opinionem, semper florentissimam extitisse.

Maria de Bellovilla.
Sacrum hoc ipso Anno habitum induit sanctæ memoriæ Maria de Bellovilla Comitissa Sancti Aniani &c. in Monasterio Ordinis nostri de Bello Monte sub Amita sua ejus loci Abbatissa, ab hac non tam verbis quam sancto vitæ exemplo ad tantam perfectionem, de qua suo loco, educta. *Ex P. F. Amando Tribout.*

Jacob de Froye Abb. Hasnon.
Moritur eodem ad felicem evocatus immortalitatem Jacobus de Froye, Abbas Hasnoniensis lectissimus, Sanctæ memoriæ Ludovici Blossij discipulus felicissimus, & imitator strenuus, singulare Ordinis in Belgio Sydus, præclare de omni etiam posteritate meritis, dum præfati Magistri sui libros emendatioris edidit, & ipse etiam librum de Sanctis Hannoniæ composuit. *Ex Monim. Hasnoniensibus.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXXVII.
Sancti Patris Benedicti M. C. VII.

Inventio SS. Placidi & sociorum Mart.
Memorabilis toti Benedictino Ordini, insigni felicitate hic annus, Inventionem corporum sanctorum Placidi Archi- & Proto-Martyris nostri, Discipuli S. P. Benedicti & Sociorum triginta trium Monachorum, nec non Fratrum ejusdem germanorum Eutychie & Victorini ac sororis Flaviæ Anicij Augustissimi generis florentissimorum germinum & Illustriſſimorum Romanæ Nobilitatis Principum, & Sanctissimi Patriarchæ Nepodum. Eam solemnem admodum & miraculis gravissimis confirmatam, annua & solemnem memoria dignissimam censuit Sixtus V. Pontifex Maximus, & celebrandam sanxit, atque in Calendarium Romanum reponendam concessit juxta Indulgentiis amplissimis, eandem Ecclesiam, ubi sacros thesaurus repositus est, visitantibus, quod præceptum aliaque notata dignissima prælixius describit Arnoldus Duacenus ad diem 4. Augusti.

Fulienſis Reformatione invaleſcit.
Hoc ipso anno ipsa longè latèque fama sanctitatis Fulienſium, nostrorum, mirificè accensis admirabili quodam fervore diversis diversorum Ordinis nostri Monasteriorum Religioſis, alijs super inaudita reinvitate attonitis, alijs mirificè erga eodem & eorum sacros conatus affectis,

tantopere excrevit sanctissimæ Reformationis Religio, ut paulo post aliquot Canobia omnem illorum rigorem ultro amplecterentur, alij & alij Principes nova ex fundamentis Monasteria molirentur, in quæ tantorum virorum colonias inducerent, Sixto V. Rom. Pont. Ordinem ipsum & solemniter approbante, & in specialem protectionem suscipiente, sed & amplissimis immunitatibus & privilegijs donante. *Ex Mst. Fulienſi, & communicatis R. P. Phil. Malabayla.*

Sed & Fœminæ Serenissima & Illustriſſimæ, nequid viris cederent, eundem paulo post magno numero, & hoc præſenti anno plures exambire, nulla curiositate ductæ sed amore Numinis Divino impulsæ Spiritu, per quas singulariter factum est manifestum omnibus, DEUM esse, qui ad confusionem fortium potentiam suam etiam in sexu fragili, toti mundo exhiberet, & se magnificum in parvis ac humilibus demonstraret, vanitatem & falsitatem illorum convincens, qui sapientes in oculis suis omnia vel solis viribus humanis metirentur, vel propria carnis mollitiei nimium creduli & quæ spiritus sunt minus saperent, DEI gratiam sua propria culpa, nec mererentur, nec nosſent, imo eidem, non solum in seipsis, sed & in alijs obstaculum nequiter objicerent, & quod horrendum, qui alijs exemplo & incitamento esse deberent, acuratiore, sanctissimæ Regulæ studia, tanquam muliercularum nugaces devotiuſculas & scrupulorum nugas riderent & damnarent, adeoque Divini Spiritus dictatis illudentes, tanto Dictatori directè resisterent, veræ & solidioris disciplinæ protritrores ad Divinum tribunal comprobandi, gratiæ & Divini Spiritus irrisores judicandi & pro immani hoc scelere irremissibiliter condemnandi.

Longè aliter serenissima Beatæ memoriæ Renata Lotharingiæ Ducissa S. Petri Remensis Abbatissa, quæ omne suum studium, in observatione minimorum aequè ac maximorum in Regula præceptorum posuit, quæ etsi ad absolutissimum illum Fulienſium rigorem cum suis se devovisset minime legatur, tamen sanctissimi Patris sui BENEDICTI mandata, imo illa ipsa omnia Divini Spiritus

Etiã sacra Virg. rigoris amplexa.

Contemp- tores SS. Regula.

V. Renata Duc. Lothar. monialis.

tus.